
AUSPICE ARCHIATRO SUMMO, CATARRHI SUFFOCATIVI ΣΚΙΑΓΡΑΦΙΑ

QUAM
AUTORITATE, JUSSU ATQUE DECRETO
Amplissimi & Gratiosi Medicorum Ordinis in Illustri ac Celeberrimâ Academiâ Tubingensi,
Sub
RECTORATU MAGNIFICENTISSIMO
Serenissimi ac Celsissimi Principis ac Domini,
DOMINI
GEORGII FRIDERICI,
Ducis Würtembergiæ, & Tecciæ, Comitis Montisbelgardi, Dynastæ Heidenhemii &c.

PRÆSIDE
DN. GEORG-BALTHASARE METZGERO,
Med. D. Praxeos, Anatomiæ & Botanices Prof. Celeberrimo,
p.t. Facultatis Medicæ Decano Spectatissimo;
Præceptore atque Promotore suo debitâ gratitudine atque filiali observantiâ æternùm devenerando,

PRO LICENTIA,
Summos honores & privilegia Doctoralia in Arte Medica legitimè impetrandi,
Publicæ Eruditorum censuræ submittit
JOHAN GEORGIUS GMELIN,
Sundelfingensis,
IN AULA NOVA,
Ad diem 24. Septembr. Anni M DC LXXV.
Horis consuetis ante-meridianis.

TUBINGÆ,
Typis JOHAN-HENRICI REISI,



CUM BONO DEO!

ΠΡΟΟΙ'ΜΙΟΝ.

ITa eſt, æquat omnes cinis, impares naſcimur, pares morimur, morbo tamen plerique diſpari; Nimirum peſtis hunc epidemica enecat, illum epilepſia præcipitat, iſtum, neſcio, quæ febricula maligna extinguit; alios alia morborum genera tollunt. Sed è morbis, penè dixerim, omnibus, *Catarrhus Suffocativus* eſt, qui, dum præceps hominem ſuffocare conſuevit, eo ipſo plurimum usque negotii Galeni filiis faceſſit; Morbi ſanè malum, in quod ut intimiori mentis indagine inquiratur, digniſſimum. Proinde ego, recepta tali in me provincia, impræſentiarum de iſthoc ipſo Catarrho Suffocativo breviuſculas quasdam theſes, uno faſciculo comprehenſas, quantulas puta, numero, invida temporis anguſtia permiſit, publicæ eruditorum ventilationi exponere decrevi. DEUS interim Opt. Max. conatus meos qualescunque felices eſſe jubeat! ita ſpero! ita voveo!

THESIS I.

CAtarrhus à triſti non rarò ſequente ſymptomate, Suffocatione, *Suffocativus* dictus, varia alia à variis Authoribus nomina accepit. Et quidem apud Græcos *Κάταῤῥ☉ πνιγώδης, συντόμως ἀπόλλυς 3. Aphor. 12.* quòd ſubitò hoc ægri non modò ſed & ſæpius cætera ſani pereant,

 audit.

audit. Nec multum ab his abeunt ſive Latini ſive Populares noſtri, quorum illi deſtillationem præfocantem, Catarrhum magnum, ſubitaneum &c. hi Steck-oder Stickfluß vocant.

II.

Unde ita deſcribo: *Catarrhus Suffocativus eſt fluxus p. n. præceps & ſubitaneus ſanguinis in pulmones protruſi, inibiquè ob impeditum circulum ſtagnantis, cum tuſſi nonnunquam in principio, difficili reſpiratione, vocis læſione, & imminentis ſuffocationis metu, ſine ſenſus & motus jactura, ab internis & externis cauſis variis irritatus.*

III.

Genus fluxus eſt p. n. Hunc Veterum non modò conſenſus ſtabilit, ſed & rationes & experientia perſuadent, quæ fluxum p. n. in omni catarrho accuſant, rectèque ita ex *l. 3. de ſympt. cauſ. cap. 4.* inter ſymptomata excretorum collocatur. Præceps verò & ſubitaneus eſt, quo facilè à ſegnioribus catarrhis omnibus diſtinguitur.

IV.

Cùm verò in omni fluxu & huic conjuncto motu locali quinque præcipuè obſervanda veniant, I. Mobile, II. Terminus à quo, III. Terminus ad quem, IV. Terminus per quem, & denique V. Mobile ipſum; eadem & pari quidem ordine hîc mihi exploranda ſumam.

V.

Mobile ſanguinem dixi; contra quidem recepta loquitur opinio, quæ humores excrementitios & inter hos potiſſimum pituitoſos ſubſtituit; alii ſeroſis magis favent. Mihi inpræſens pro ſanguine pugnare mens eſt, quem vel ſola copia & abundantia ſua, ſi impetuoſior in pulmones ruit & reſtagnat, malum hoc cudere poſſe perſuaſus ſum: Facilius tamen & felicius operari omninò puto, ſi ſeroſis omnis generis ſordibus, & in ſpecie craſſis, pituitoſis, quos magnum ſeri cadaver *Paulus Barbette* & alii nominant, infectus eſt.

VI.

VI.

Terminum à quo, ad communem iterum ſententiam, caput, aut potius hîc latitans cerebrum, ùt vocat *Hugo Senenſis*, catarrhizans, ſtatuunt, hincquè imbrem omnem catarrhalem defluere credunt. His autem quò minus ſubſcribam, obſtat, quòd 1. non excrementitios humores, ſed ſanguinem mobile ſtatuam, 2. data hâc hypotheſi nulla vel tamen pauca cerebri excrementa, 3. nulla excrementorum in cerebro idonea & ſufficientia conceptacula, 4. nullæ viæ, per quas è cerebro effluant, in promptu ſint; prout elegantiſſimè demonſtrant hæc omnia *Rolfinck in anatom. l. 6. c. 54. Schneiderus* hinc inde, præcipuè verò *lib. 2. Sect. 1. de catarrh.* per totum; adde *C. Irvinum in Pract. med. Walæi l. 2. c. 5.* Maſſam ergò ſanguineam, oceanum omnis bonæ & malæ valetudinis, catarrhi etiam hujus ſcaturiginem pono.

VII.

Terminum ad quem pulmones nominavi. Produnt affectum locum hunc ſymptomata periculoſiſſima, reſpiratio difficilis, vocis ablatio, & tantùm non præſens ſuffocatio. Ad imbibendam hanc ſarcinam patulus pulmonum venter aptiſſimus eſt, veſiculis tam orbicularibus, quàm ſinuoſis tantùm non infinitis noviter à *Marcello Malpighio* detectis gaudens, ubi transcolare non modò ſanguinem rectè diſpoſitum, & ordinarium ſuum ſequentem circulum poteſt, ſed & copiâ & qualitate viſcidâ præſertim peccantem facilè retardare & in curſu ſuo ſiſtere novit, vid. *Th. Barthol. de pulm.* Extra autem locum hunc quicunque facti videntur catarrhi ſuffocativi, falsò aut impropriè ita dictos ſuſpicor, nec aliud de illo ex cordis polypo apud *Th. Barth. Cent. 2. Epiſt. Med. 86.* judico.

VIII.

Terminum per quem famoſa vaſa duo ſanguiduca cordis ordinaria venam cavam & arteriam pulmonalem conſtituo. Illa per aſcendentem & deſcendentem ramum ſuum ſanguinem reducem vitioſo ſtipatum ſatellitio ſuo cordi infundit, hæc impetuoſum in pulmones effundit. Symbolum etiam ſuum conferre laryngis vaſa arterioſa *Schneiderus lib. 3. de catarrhis cap. 3. & 5. lib. 5. poſt. cap. 3.* operosè adſtruit. Cui conſentit *Th. Wil-*

ſius de febr. c. 11. Vaſa lymphatica jugularia his aſſociat *Jacobus Henricus Pauli anat. Bilſ. anat. cap. 8.* quæ, ſi conſpirant cum prioribus, malum dubio procul gravius naſcitur, & ſpiritus citius præcluditur, *Schneidero & Williſio loc. cit.* adſtipulantibus.

IX.

Movens facultas cerebri expultrix conſuetè ſalutatur, quæ verò cum cerebro ſuo fictitio catarrhorum fonte haud difficulter proſternitur, eoquè magis, quòd hæc & ſimiles facultates labili valde fundamento ſecundum Modernos innitantur. *Schneiderus lib. 4. catarrh. ſect. 2. c. 3.* expultricem ſanguinis ſurrogat. Breviter: cauſa una ſufficere non videtur, ſed plures requiruntur: præcipua quidem natura eſt, humorum gubernatrix, excrementorum expultrix. Juvat a. motum ſuum ipſum mobile copiâ vel qualitatibus vel utroque, ut motus has cauſas ipſe *Galenus loc. cit.* proponit. Vid. *Diſput. Excellentiſſ. Dn. Præſidis de Fluxu hepatico th. XIV.*

X.

Operas pariter ſuas in generando & movendo hoc malo ſtrenuè elocant è *rebus naturalibus* temperamentum, præcipuè ſanguineum, nec non, ita dictum, phlegmaticum. Ætas infantilis *3. aph. 26.* ſenilis *3. aph. 12.* ſexus muliebris, *l. de nat. puer.* Accedunt ex *non-naturalibus* aër præſertim vernus *3. aph. 20.* & *hybernus 3. aph. 23.* venti maximè auſtrini *3. aph. 5.* cibus & potus, exercitationes corporis nimiæ, quies, ſomnus & vigiliæ, excreta & retenta, animi affectus, de quibus *Authorum* libri & obſervationes abundè loquuntur. Ex *præter-naturalibus* febres in ſpecie tertianæ *Sennertô de febr. lib. 2. c. 18.* authore, favi & achores puerorum intempeſtivè exſiccati, apud *Jacob. Henr. Pauli loc. cit.* ſcabies retropulſa apud *Hildanum Cent. 3. obſ. 10* hydrops ſubitò detumeſcens, hæmorrhoidum, menſium fluxus conſueti ſuppreſſio, fonticulorum naturalium & artificialium, ſetaceorum, intempeſtiva, obſtructio, & ſimilia, quorum operandi modus ex dictis collectu facilis eſt.

XI.

Signa præcipua ex deſcriptione conſtant. Tuſſis n. ſubinde circa principium naſcitur, materia pulmones jam intrante & ir-

& irritante; mox difficilis respiratio, & tantùm non præsens in graviori malo suffocatio urget, detrusa jam procella in pulmones, hosquè opplente, unde vocem etiam strangulari necesse est. *Jacob. Henr. Pauli* nonnunquã propter nervos recurrentes hîc læsos obmutescere ægrum scribit. *Distinctivis* etiam *signis* opus est, vel ideô, quòd, qui cognatos cum hoc catarrho affectus, apoplexiam, syncopen, epilepsiam & cœteros subitò & incunctanter distinguit, *Caspar. Hoffmanni* voto *Æsculapius* proclametur, *lib. 1. de loc. affect. c. 1. §. 4.* Factu a. difficile hoc non est; hîc n. cum sensu motus viget, qui in apoplexia perit, depravatur in epilepsia; vitæ hîc supersunt vestigia tantùm non omnia, quæ in syncopticis deficiunt.

XII.

Quà *Prognostica*, in genere ut acutorum morborum non sunt omninò certæ mortis aut salutis prædictiones, 2. *aph. 19.* ita vel maximè in hoc catarrhorum gravissimo idem dicendum. Sive enim loci affecti nobilitatem, sive actionis impeditæ necessitatem videas, periculorum omnia plena sunt. Vita enim & respiratio pari passu ambulant. Bona autem spes ægrum alere potest, ubi vires adhuc robustæ, nec à priori morbo exhaustæ, ubi mitiora symptomata, procellæ non undique ingruunt, ubi tempestiva remedia adsunt, & malum ad horum applicationem remittit: Contra ubi secus.

XIII.

Cura autem hîc si ullibi festinanda est, quæ alia in paroxysmo, extra paroxysmũ alia desideratur. Ubi materia respirationis foco incumbens sui ablationem, impetuosè irruens aversionem & refrenationem, impacta resolutionem, viresq; conservationem indicant. *E fonte chirurgico* præstat hæc felicissimè & statim ab initio, reliquis consentientibus, adductum generosum remedium, venæsectio, qua & sanguinis copia & impetus ejus minuitur, nec non pulmones à sarcina p. n. liberati liberius spirare iterum incipiunt, viresquè sanguinis mole oppressæ ad se redeunt. Locum & quantitatem evacuandam morbi gravitas, vires & ægri conditio reliqua determinant. Prohibente venæsectionis præsente, in hujus locum scarificationes, frictiones, ligaturæ substitui solent.

Ex

Ex pharmaceutico alvum irritantia & ducentia conveniunt, v. gr. ſuppoſitoriæ, & quæ primo ferè ordine ſe commendant, clyſteres mitiores & acriores, qui & alvum ſolvere, & materiam ab itinere ſuo ad pulmones avertere norunt. Horum materia ubivis obvia.

XIV.

Sed quid de *Vomitoriis* habendum? quibus nihil in catarrho ſuffocativo præſentius *Henricus Petræus in noſolog. de catarrh. Joh. Jonſtonus id. pract. l. 8. c. de catarrh.* cum pluribus aliis putant. Verbô: proficua videntur, ubi vaſa laryngis ſuam opellam conferunt, pulmonumquè bronchia & aſpera arteria infarcta ſunt, in ægro robuſto, vomitui aſſueto, ſtatim ab initio. Extra hos limites vix advocanda hæc putarim.

XV.

His peractis ſuſpendere catarrhum & inhibere furioſum ejus motum internis & externis jubent Practici, opiatis, emplaſtris ad coronalem ſuturam applicitis; evocant errhinis, ptarmicis, apophlegmatiſmis, gargariſmis, balſamis naribus inunctis, hujusquè generis ſimilibus variis, quæ furioſum ſanguinem refrenare, impurum defecare norunt. Tandem reſolventibus & expectorantibus opus eſt, & ita ſenſim ſenſimquè paroxyſmus mitigatur.

XVI.

Nec hîc tamen acquieſcendum, ſed & *extra Paroxyſmum*, ne recidiva metuenda, cautè providendum. Scilicet abſcindendæ hîc cauſæ antecedentes omnes, plethora ſanguinis diminutione; cacochymia purgantibus, diaphoreticis, diureticis. Maximum verò momentum hoc in loco fonticuli artubus appliciti, ſetacea nuchæ infixa, habent. Cavendum inſuper ne nova cauſa regeneretur, coctionum roboratione & quod maximum hîc ſubſidium promittit, *Diætæ* debita ordinatione; ut enim hæc neglecta morborum & Medicorum nutricula verè audit, ita rectè inſtituta fideliſſimus ſanitatis cuſtos eſt, de qua iterum authores conſulantur.

DEO interim pro conceſſa hac mihi gratia ſint laudes immortales, cujus clementiſſimæ voluntati porrò me meaquè ſtudia commendo.

FINIS.